

bus, & sic idem iudicatur de rebus mobilibus contentis in aliqua domo vel re immobili, quod iudicatur de ipsa re immobili, quasi accessoria habeantur ad ipsam. Nec superiori conclusioni obstat text. in leg. Qui universas, in princip. ff. de Acquir. posses. ubi, qui possidet domum, non possidet singulas res ibi contentas: Quia ille textus loquitur de rebus coherentibus suo integrali, quæ per se non iudicantur; unde non possident singulariter, sed in concreto: sic ita ibi Ang. de Perus. Roman. & DD. facit lex Eum qui adam in princip. & lex Rerum mixtura, in princ. infra de usucapionib.

41 Item circa prædicta subtiliter quæro. Quid si aliquis intravit fundum, vel partem ejus, vel occupavit rem animo & intentione continuandi possessionem, cum ex aliqua causa crederet eam adeptam, quam antea nunquam adeptus fuit? an ex tali actu & apprehensione videatur quærere possessionem de novo? Et exemplum hujus quæstionis potest esse: Si lapsu memoriæ credidit apprehendisse possessionem, vel sibi persuasum est procuratorem ejus accepisse, vel perdiderat possessionem in absentia per lapsum decenni, vel alias. In qua quæstione Glossa singularis & ordinaria in leg. 3. ff. de Acquirend. posses. in gloss. 3. in fin. expressè tenet, quod non videtur acquirere de novo: quia semper in acquirenda possessione necessariò requiritur animus & intentio quærendi, ut est text. in dict. leg. 3. & supra probavi, qui animus in præsentia deficit; ergo non quæritur possessio: Et istam conclusionem Glossæ tenet ibi Jacob. de Aren. Rayner. & Alber. 2. column. in princip. pro quibus facit etiam text. in leg. 3. §. Subtilius. ff. de Condit. ob caus. ubi ille qui tradidit rem suam alteri, credens esse ejus cui tradidit, non transfert dominium in eum. Secundo facit text. in leg. His qui putat, de acquirend. hæred. ubi, ille qui se immiscuit hæreditati, credens esse necessarium hæredem, non videtur adire.

Sed his non obstantibus, contrarium est tenendum, imò, quod ille qui intravit animo continuandi, quærit possessionem de novo: ita tenet Bartol. reprobando illam Gloss. in dict. leg. 3. 2. col. num. 2. Paul. ibi, in fin. Imol. 2. col. post princip. Angel. ibi, in fin. notabiliter Roman. in 2. column. post princ. Aretin. 3. column. in princip. Cuman. 2. col. numer. 18. Socin. 3. col. post medium. Jas. 4. col. num. 21. Vincent. 11. col. num. 31. Cuman. in leg. Sed si nolit, eod. tit. 1. col. post medium. Bart. in leg. Gerit. ff. de Acquir. hered. penult. column. post princip. idem Bart. in leg. Sequitur. §. de Illo. ff. de Usucap. & ibi Imol.

idem Bartol. & ea leg. Sequitur. §. Item Labeo, & ibi Angel. & Cuman. Bart. in consil. 206. 1. col. in medio, ubi dicit, quod nullus reprehendit illam Gloss. nisi ipse Bald. in rub. extra de præcip. 3. col. num. 16. Salycet. in l. Licet, Cod. de Acquir. posses. fin. col. in princip. Alex. in con. il. 146. 3. col. in princ. 5. volum. Pro qua communi sententia: primò facit text. notab. juncta Gloss. penultim. in leg. 2. Cod. Commun. utriusque juris, ubi, si partes confirmant sententiam ipso jure nullam; talis confirmatio, licet non validet sententiam, tamen inducit obligationem de novo, ut observetur vi pacti, vel contractus, & in suo casu ille text. est singularis in jure, secundum Bald. ibi, & ad hoc notant & commendant Bartol. Paul. & communiter DD. ibi, Bart. Paul. & communiter DD. in l. 1. Cod. qui pro sua jurisdic. Sic ergo dicamus in nostro casu, quod ille qui intendit conservare & continuare possessionem, quam putabat habere, videatur acquirere de novo. Secundò pro ista sententia & conclusionem communi facit text. in leg. Posthumus. §. Si paganus. ff. de Injusto rupto, & in leg. Si quis priori, ad Trebell. ubi si quis in secundo testamento approbat primum quod erat nullum; licet talis confirmatio non valeat, tamen inducit de novo restitutionem bonorum per fideicommissum. Tertio facit text. in leg. Quod vulgo. ff. Pro emptor. & in leg. Qui ob pactionem, & in leg. Servus, eod. tit. quibus probatur, quod si recipio rem à servo meo tamquam prius sibi traditam, & per eum mihi quæsitam, cum non esset talis animus continuandi; inducit acquisitionem de novo: Ergo sic dicamus in nostro casu. Quarto pro hac sententia facit bonus text. in leg. Si in venditione in princip. ff. Commun. prædior. ubi, si vendens fundum excipit servitutem, quæ nulla erat, potest eam constituere de novo, & sic animus conservandi operatur acquisitionem de novo: & illum text. pro nostra communi opinione considerat ibi Angel. de Perus, & notabiliter Paul. de Castr. ibi 2. column. num. 3. Quintò pro hac sententia & conclus. facit text. singularis in leg. Si quis mihi bona. §. Sed quid si mandavit. ff. de Acquir. hered. ubi disponit, quod si pater crederet filium agnovisse bonorum possessionem, quam non agnovit, & ratum habeat, illa rati habitio adhibita ad confirmandum actum, qui non præcessit, inducit mandatum de novo, ut filius possit adire vel agnoscere: Ergo dicamus in nostro casu, ut talis actus inducat acquisitionem possessionis de novo: & in expressò ad hoc illud text. commendat ibi Paul. de Castr. Imol. Aretin. & Alex. nec est similis in jure secundum Jas. ibi 2. col. n. 3. ad hoc illum text. reputat

siq-

singularem Aretin. in leg. Legata inutiliter. ff. de Leg. 1. 2. column. reputat etiam singularem Jas. in leg. 1. §. Si quis ita interoget. ff. de Verbor. oblig. 7. col. num. 17. Sextò pro hac sententia & conclusione ego considerò vivam rationem: quia in dependentibus ab animo nostro, unus actus seu dispositio ex solâ voluntate nostra convertitur in alium: textus est singularis in leg. Cum quidem. ff. de Bonor. possess. ubi dicit, quod legitimus successor ab intestato, qui egit quærela falsi contra testamentum alicujus defuncti, & probavit intentionem suam, visus est adire quem ad hoc notant & commendant ibi Bartol. Alber. & communiter DD. antiqui: idem Bart. in leg. Quomodo. ff. de Inoffic. testamen. idem Bartol. in leg. Gerit. ff. de Acquir. hered. 2. column. facit etiam text. in leg. Filiusfamilias. §. Ut quis hæredem. ff. de Legat. 1. text. in leg. Ex facto. ff. ad Trebellianum. text. in leg. Qui filium eod. titul. Sic ergo dicamus in proposito, quod actus retinendæ possessionis convertatur in effectum acquisitionis, cum solum hoc pendeat ab animo gerentis. Nec obstat ratio in qua se fundabat Glossa ordinaria in dict. leg. 3. & DD. eam sequentes, scilicet, quod illo casu deficit animus & voluntas possidendi: Quia ille qui vult continuare possessionem, apertè vult possidere, & jura non requirunt animum acquirendi de novo, sed tantum simpliciter possidendi: ita subtiliter respondet & declarat Bartol. in dict. leg. 3. & communiter DD. ubi supra. Pro qua consideratione est casus melius de jure in leg. 1. §. Adipiscimur. ff. de Acquirend. posses. ibi: Quia affectionem tenendi non habent, textus in §. Per procuratorem. ejusdem leg. ibi: Animum possidendi. textus in leg. 3. §. Neratius. eod. tit. ibi: Atque possidendi. Nec obstat etiam textus in leg. 3. §. Subtilius. ff. de Conditione ob caus. Quia ibi dominus qui tradebat rem, non intendebat se abdicare dominium ejus, in casu quo esset sua; sed solum restituere eam tamquam alienam: unde accipiens non potuit quærere dominium, argumento text. in leg. Id quod nostrum. ff. de Regul. juris. Secus verò in nostro casu, ubi possessio erat vacans, & talis, quæ potuit quæri animo & corpore ingredientis vel occupantis: unde meritò illam quæsit, quia intervenerunt necessaria, scilicet, actus corporeus, & animus possidendi, licet crederet continuare & non acquirere de novo. Et ista est intentio Bartol. Imol. Roman. & Modernorum in dict. leg. 3. licet sic non declarent. Nec obstat etiam textus subtilis, in leg. His qui putat, cum lege sequenti. ff. de Acquirend. hered. de quo nimis dubitant Paul. Imol. & Moderni in dict. leg. 3. Quia respondeo punctualiter & verè, quod ibi hæres ex errore cre-

debat gerere actum necessarium, quem evitare non poterat, cum crederet se necessarium hæredem, & repudiare non posse: & forte, si sciret se voluntarium, non adiret: unde idè ille animus continuandi non inducit acquisitionem de novo, quia in additione hæreditatis oportet quod quis intelligat causam suæ additionis quæ in leg. Quod si dubitet. eodem tit. cum similibus ita apertè tenat & declarat Glossa Bartol. & communiter DD. in dict. leg. 3. ff. de Acquirend. posses. 5. column. in quædam mensura. 4. 2. Ex superioribus inferitur ad notabilem & subtilem quæstionem: Qualiter acquiratur possessio in jurisdictione? In qua resolutivè propono tres principales, veras, & communes conclusiones: Prima conclusio: Quod si quis habet titulum vel jus in aliqua villa, castro vel territorio, per ingressum ejus & naturalem apprehensionem ædificii non videtur acquirere possessionem jurisdictionis, etiam concurrente voluntate domini concedentis, vel concurrente legitimo titulo ex contractu, vel ultima voluntate; quia unum est longè diversum ab alio: Unde requiritur usus & exercitium jurisdictionis, argumento textus in leg. Quoties. la. 2. ff. de Servit. & in leg. 2. cum materia. Cod. de Servit. & aqua & in expressò istam sententiam & conclusionem tenet Bartol. in dict. leg. 3. ff. de Acquirend. posses. fin. column. & quæst. & ibi Vincent. tenet fin. column. nam, 15. licet Alexand. ibi, penultim. column. teneat contrarium quòd, quod per ingressum castri, & naturalem apprehensionem ædificii quærat possessio jurisdictionis; & dicat, quod ista est intentio Bart. & idem tenet Socin. ibi, fin. column. in fin. Sed advertendum subtiliter, quia contra hoc videtur facere textus in leg. 3. versic. Dare. ff. de Usufruct. ubi habetur, quod per ingressum fundi vel partis, de voluntate concedentis, vel hæredis, acquiritur jus incorporale usufructus, vel alterius servitutis, sine aliquo usu vel exercitio, ut latius dixi & fundavi suo loco. Sed respondeo, quod ibi loquitur in usufructu, vel alio jure servitutis realis, vel mixto, quod hæret rei, vel rei & personæ: nostra verò conclusio loquitur in jurisdictione, quæ est merè personalis, & principaliter cohæret personæ, licet debeat exerceri in territorio, ut plenè & magistraliter tradit Bartol. in leg. 1. ff. de Jurisd. omnium judic. in fin. & ibi communiter DD. Secundò etiam contra hoc videtur ob stare: quia, possessa vel præscripta re principali, censentur in consequentiam possessa & præscripta omnia ejus accessoria: textus est in leg. Si aliena. §. 1. ff. de Usucapion. ubi habetur, quod præscripta re, censetur præscripta servitus,

etiam

etiam discontinua: quem ad hoc notat & commendat Bart. & communiter DD. ibi, qui notabiliter ex eo inferunt, quod præscriptio territorii, censetur præscripta ejus jurisdictio: quod necessario intelligitur, etiamsi medio tempore nullus actus jurisdictiois exerceatur: idem etiam tenet Bartol. in leg. Quibus. ff. de Legib. in repet. 2. column. 1. opposit. & super eo communiter DD. Facit etiam bonus & singularis textus in leg. Eos. Cod. de Usuris. ubi disponitur, quod præscripta re, censetur in consequentiam præscripti fructus ex ea percepti: quem ad hoc notant & commendant DD. tenent etiam DD. in leg. Sequitur. §. Fructus. ff. de Usucapion. facit etiam textus in leg. Via constitui. §. Si fundus. ff. de Servitut. rusticorum prædio. cum similibus. ubi habetur, quod servitus non consideratur de per se, sed est quedam qualitas quæ accessorie transit cum ipso fundo & re principali: Quia notabiliter respondeo, quod illud est in accessorio formato & in esse producto, ut servitus, vel simile jus, quod omnino coheret prædio: secus tamen est in jurisdictioe, quæ principaliter non coheret prædio, sed personæ, ut supra dixi. Vel aliter & secundo, quod loquitur in re omnino accessoria, quæ sine principaliter stare non potest: secus verò in jurisdictioe, quæ non est accessoria, sed jus æquè principale. Vel aliter & tertio, quod illud procedat respectu proprietatis, non verò respectu possessionis, ut in nostro casu & conclusione. (n)

Secunda conclusio. Quod si quis exercet unum actum jurisdictiois de voluntate domini concedentis, quæritur possessio genericè & absolute in omni jurisdictioe & gradibus ejus, argumento text. in leg. Si stillicidii. §. fin. cum l. Sequens. ff. Quemadmodum servit. amit. textus in leg. 2. eod. tit. text. in leg. His in quibus. ff. Quibus modis ususfructus amittatur: ubi habetur, quod ille qui utitur servitute in parte fundi servientis, retinet & conservat totum jus servitutis. Sed certè illa jura non concludunt, quia loquuntur in retinenda & conservanda possessione jam quæsita, non verò in quærenda de novo; & facilius jura nostra conservamus, quam acquirimus de novo, ut in leg. 1. §. Quod autem. ff. de Superfic. & in leg. Patre furioso. ff. de His qui sunt sui vel alieni juris. cum similibus: sed melius facit textus in dict. leg. 3. ff. de Acquirend. possess. arguendo de re corporali ad

(n) Quod sequor tantum ut verissimum & singulare: cujus declaratio est, quod præscripta re, fundo, vel territorio, censetur præscripta servitus, vel jurisdictio annexa vel coherens respectu proprietate, ut habeat jus & titulum in ea; non tamen dicitur esse in actuali possessione, nec comperunt sibi ejus remedia.

incorporalem: ubi per apprehensionem partis quæritur possessio totius: sic ergo dicamus in jurisdictioe, quod quæsita possessione in uno actu, virtualiter & extensive quærat in omni jurisdictioe: Et in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Bart. in dict. leg. 3. in fin. & ibi commun. DD. Paul. de Castr. notabiliter in leg. Restituta. ff. ad Trebellian. & ibi alii DD. Specul. in titul. de Jurisd. omnium judicium. §. 1. penultim. column. versic. Illud. etiam notat. Innocent. in cap. Dilectus de capel. monach. 1. column. versic. Et potest induci. Abb. in cap. Cum olim de præscript. penultim. column. num. 6.

Tertia conclusio: Quod si quis exercet unum actum jurisdictiois contra, vel præter voluntatem domini, solum quærit possessionem illius actus, & similia ejusdem gradus & qualitatis, argumento textus in leg. 1. §. Julianus. ff. de Itinere actuque privata. ubi habetur, quod si quis exercet actum servitutis in parte fundi, in ea tantum parte quærit possessionem, non verò in aliis: ergo ita dicamus in jurisdictioe: Et in expresso per illum textum ita tenet ibi Bartol. Angel. & communiter DD. idem Bartol. in dict. leg. 3. in fin. & ibi communiter DD. facit etiam textus notabiliter in leg. Quod meo. §. final. ff. de Acquirend. possess. Ex quo inferitur utilis & notabilis effectus, quod præscripto uno actu jurisdictiois, ille solus censetur præscriptus, & alii consimiles ejusdem qualitatis, gradus, & speciei, non verò alii majoris gradus vel minoris. Unde, tum jurisdictio, simpliciter & absolute sumpta, contineat in se tres gradus vel species jurisdictiois, merum imperium, mixtum imperium, & simplicem jurisdictioem; si quis præscripsisset unum actum de mero imperio, puta, cognoscendi, & condemnandi de homicidio, & numquam exercuit alium actum majorem vel minorem; completa præscriptione, poterit exercere omnes alios actus & casus similes, quibus venit imponenda pœna mortis; non verò alios, scilicet, mutilationis membri, relegationis, vel causarum civilium: Et in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Bartol. in dict. leg. 1. §. Julianus, quem legit in §. Si quis hoc interdicta. ff. de Itiner. actuque privat. & ibi Angel. & alii DD. Alexand. in dict. leg. 3. penult. column. in medio, & ibi communiter alii Moderni. Innocent. in cap. Dilectus de capel. monach. 1. column. n. 3. versic. Et hoc est verum. Idem Innocent. in cap. Di-

Dilecto, de offic. Archid. 2. column. num. 6. Abb. in cap. Auditis, de præscript. 3. column. num. 9. idem Abb. in cap. Cum ita in tua, de decimis, in fin. Alber. in leg. Imperium. ff. de Jurisd. omnium judicium, 14. column. num. 25. versic. Item quæro. & ibi Bald. 4. column. versic. Circa ultimum. Jas. 12. column. num. 23. qui dicit, hanc esse communem opinionem. Cin. in leg. 1. Cod. de Man. lib. fin. column. & quæst. Franc. Bald. in tract. pres. 2. part. 2. quæst. 8. fol. Nec obstat text. in leg. Nec ea. ff. ad leg. Juliam de adult. ubi, illi cui competit jus occidendi, competit jus offendendi, & afficiendi qualibet alia injuria: Quia respondeo, quod illud est quando vindicta vel jus occidendi competit à lege de jure communi; secus verò si competit ex præscriptione: quia est illa odiosa & restringenda. Unum tamen est, quod præscripto actu absolviendi, censetur præscriptus actus condemnandi, argum. text. in leg. Solent. vers. 1. de Offic. Procon. ubi, ille qui potest absolvere, potest condemnare, & extat text. in leg. 3. ff. de Re jud. & in expresso ita tenet Alb. in dict. leg. Imperium. 6. column. num. 14. ibi Bald. 4. column. & commun. DD.

43 Circa prædicta tamen se offert pulchra & subtilis quæstio: an una possessio possit quæri sine alia? In quo articulo breviter & resolutivè considero sequentes conclusiones. Prima conclusio: Quod quando possessio sola naturalis vacat, ingressus potest solam illam quære sine civili: textus est formalis, qui istam conclusionem probat in leg. Clam possidere. §. Qui ad nudinas. ff. de Acquirend. possess. ubi absens retinet possessionem civilem in animo, & tamen ingressus acquirit solam naturalem vacantem: Similiter etiam, si possessio sola civilis vacaret, & naturalis esset occupata, puta, à fructuario, feudatario, emphyteuta, vel simili persona, ingressus quæreret solam illam civilem: Et in expresso istam conclusionem probat Glossa ordinaria reputata singularis in dicta leg. Clam possidere. §. Qui ad nudinas, in gloss. 3. quam sequitur & reputat ibi singularem Aretin. 1. column. post medium. Paul. de Castr. Imol. & Cuman. 2. column. Socin. 5. column. versic. Ex qua tamen postremo notabis, tenent etiam & commendant Angel. de Perus. Roman. & Aret. in leg. Quemadmodum, eod. tit. & notabiliter ibi Doctor Segur. 6. column. versic. Infertur & 2. Ea tandem ista est communio opinio, quam ego teneo & sequor: licet Bartol. aperte velit contrarium, in dict. §. Qui ad nudinas. 1. column. versic. Istud quod glossa dicit non est bene dictum, & Jas. ibi, 8. column. num. 37. arguit ad partes, & reliquit cogitandum. Nec obstat si subtiliter dicas, quod possessio civilis sola non

potest vacare, quia statim ipso jure quæritur habenti naturalem, & consolidatur cum ea: ut est Gloss. singularis & ordinaria in leg. Sed si nolit. ff. de Acquirend. possess. & ibi communis opinio: Quia respondeo, quod necessario debet intelligi illa Gloss. quando habens naturalem, habet animum quærendi utramque possessionem, secus verò, quando ex natura actus, vel contractus, vel ipsius rei, colligitur à principio, quod habens naturalem non intendit habere civilem, ut patet in personis & exemplis superioribus: Secus verò, si simpliciter ingrediatur animo quærendi utramque, & tantum quæreret naturalem, quæ sola vacabat; nam si postea civiliter possidens, animo desinat possidere civiliter, ipso jure quæritur ei: & ita procedat & intelligatur Gloss. & communis opinio, in dict. leg. Sed & si nolit, & certè est vera & subtilis declaratio ab alio non tacta.

Secunda conclusio: Quod quando utraque possessio est occupata, & est penes aliquem, bene potest alteri quæri una possessio sine alia, de voluntate partium expressa vel tacita, ex natura vel qualitate actus, mediante actu vero vel ficto: istam conclusionem probat mihi textus notabilis in leg. Et habet, §. fin. versic. Placet. ff. de Precario, juncta Gloss. & communi opinio: ubi in contractu precarii transit sola possessio naturalis in accipientem, & remanet civilis in concedente, text. in leg. Quisquis. Cod. de Donation. ubi per retentionem ususfructus transfertur sola civilis in alium, & remanet sola possessio naturalis penes concedentem, text. in leg. Dare. ff. de Usufruct. ubi per inductionem in fundum transit jus ususfructus, & per consequens naturalis possessio in fructuarium, & remanet civilis penes proprietarium, text. in leg. Locum, versic. Proprietarius. ff. de Usufruct. text. in l. 3. §. Si hæres. ff. Usufruct. quemadmodum cav. ubi, proprietarius potest vendere vel alienare suam proprietatem, & tradere ipsam rem, transferre jus suum: ergo aperte infertur, quod & transfertur dominium, & civilis possessio sola quæ erat penes eum: bonus textus & notabilis in leg. Quædam mulier. ff. de Rei vind. ubi per conditionem vel clausulam constituti potest quis in alium transferre solam possessionem civilem absque naturali; per quem textum ita determinat Bartol. in leg. Quod meo. 2. column. numer. 3. de Acquir. possess.

44 Tertia conclusio: Quod quando utraque possessio vacat, potest ingressus quære unam, quam velit sine alia, protestando se illam tantum velle acquirere: Istam conclusionem probat aperte Gloss. & communis opinio, quam adduxi supra in conclusione hujus articuli; & in specie pro hac sententia & conclusione facit sub-

tilis & concludens ratio; quia quando actus vel factum regulatur secundum animum & voluntatem gerentis, protestatio ejus modificat & declarat illud, ut in leg. *Qui in aliena*, §. *final. cum similib.* ff. de *Acquirend. heredit.* sed acquisitio possessionis est hujusmodi, ut in leg. 3. in princip. ff. de *Acquirend. possess.* & in leg. *Licet*, Cod. eod. tit. cum similib. Ergo, &c. Et ex isto fundamento & ratione istam conclusionem tenet Gloss. notabilis ordinaria in leg. *Una*. Cod. *Uti possidet*, in verb. *Nec vi*, post princip. ibi: *Vel aliter pone exemplum*, quæ habet, quod actus invasionis violenter factus in re vel possessione alterius, non operatur ultra mentem & intentionem ingredientis, de qua constare potest per protestationem ejus, quam ibi sequuntur communiter DD. similis Glossa est in leg. *Si duo*, ff. *Uti possidet*, in gloss. 1. versic. *Vel secundo pone casum*, tenet etiam Bartol. qui notabiliter loquitur in leg. *Non solum*, §. *Morte*, ff. de *Novi oper. nuntiati*, 7. column. num. 30. & ibi Jas. numer. 25. Anchar. in cap. *Pastoralis*, de *causa posses.* & prop. 6. column. num. 19. Confirmatur etiam per textum, juncta Glossa, & communis opinione, in leg. *Certe*, versic. *Is qui*, ff. de *Precario*, ubi, licet ex contractu precarii ingressus quærat possessionem naturalem; tamen ex protestatione sua, vel partium conventionem potest fieri, ut nullam quærat possessionem: Ergo idem sit, quando res omnino vacat; cum tunc actus pendeat de sola voluntate ingredientis.

Nec obstat si subtiliter dicas, quod hoc videtur impossibile: qui actus acquisitivus possessionis est ingressus rei; ergo post ingressum necessarium est quæsitam possessionem naturalem: Confirmatur, quia protestatio contraria actui nullus est momenti, ut in cap. *Sollicitudinem*, de *appell.* in cap. 1. quod met. caus. in leg. 2. Cod. eodem tit. Ergo, vel quæritur possessio naturalis, vel omnino vitiatur ingressus, ut nulla possessio quærat: Quia respondeo notabiliter, primo, quod quando actus qui postea sit protestationi contrarius dependet solum à facto & voluntate ipsius protestantis, ut testamentum, hereditatis additio, & acquisitio possessionis; tunc per talem actum contrarium non tollitur præcedens protestatio, ut in dict. leg. *Qui in aliena*, §. *final.* ff. de *Acquirend. heredit.* in leg. *Si quis in princip. testamenti*, ff. de *Legat.* 3. Si vero ille actus protestationi contrarius celebratur cum aliquo tertio, tunc per illum videtur à protesta-

Et similiter è contra, si ingressus non habeat animum quærendi naturalem, sed solam civilem, videtur sibi contrarius: nam utramque quærit, cum habeat animum possidendi; vel nullam quærit, cum non habeat animum possidendi.

tionem recedere, & ita protedat text. in dict. cap. *Sollicitudinem*, cum similib. & istam doctrinam & theoreticam per prædicta jura, tradit magistratiter Bart. in leg. *Non solum*, §. *Morte*, ff. de *Novi operis nuntiati*, 4. column. num. 17. & 5. column. num. 22. & super eo communiter DD. Sed acquisitio possessionis dependet solum à facto & voluntate ipsius protestantis: Ergo, &c. Vel aliter & secundo, & valde subtiliter respondeo, quod ipse ingressus, & sic actus quærendi possessionem non est idem quod possessio naturalis, ut supra deduxi & probavi; sed est actus nudi facti, mediante quo utraque possessio quæritur: unde, si ingressus non vult utramque quære, sed tantum unam; illa sola quæritur.

Nec obstat etiam secundo si subtiliter replices, quod per ingressum non potest quis quære solam naturalem, sine civili; quia cum civilis sit illa quæ animo retinetur & conservatur, vel deperditur, ut in leg. *Licet cum similib.* Cod. isto tit. Ergo si in nostro casu ingressus non habeat animum possidendi, sequitur quod nullam quærit possessionem, etiam naturalem: (o) Quia respondeo, quod non habeat animum possidendi civiliter, sed bene habet animum possidendi naturaliter: & cum duplex & diversa sit possessio, & quoad diversos effectus, bene potest actus corporeus & animus producere acquisitionem unius possessionis sine alia; cum limitata causa limitatum pariat effectum, & actus agentium non operentur ultra eorum intentionem, juxta jura vulgaria. Ex quibus omnibus infero notabiliter, quod modò possessio sit vacans, modò ab alio occupata, potest judex ratione sententiæ, vel decreti, vel alterius causæ, quem mittere in sola possessione civili, vel in sola possessione naturali alicujus rei, secundum qualitatem actus, vel negotii: nam illud quod potest fieri per partem, potest fieri per judicem, ut in leg. *Non est mirum*, ff. de *Pignor. action.* & in leg. *Si ob causam*, Cod. de *Eviction.* Et in expresso istam doctrinam & conclusionem tenent Glossa singularis in leg. 2. eod. ubi in rem. actio in gloss. 1. in fin. & ibi notat & commendat Jacob. Bart. column. in princip. Angel. 2. column. num. 4. reputans esse notabilem, Bald. 2. column. num. 5. versic. *De secundo constat*, Salyc. 3. col. 6. opposit. & ibi communiter DD. Illam etiam Glossam ad hoc notat & commendat Bald. in *Authent. & qui jurat*, Cod. de *Bon. autoritate jud. poss.* 7. column. num. 31. Salyc. in leg. *Nemo*, Cod.

Cod. de *Acquirend. possess.* fin. column. Jas. in §. *Omnium*, Instit. de *Action.* 6. column. n. 108.

Quarta conclusio: Quod quando utraque possessio vacat, si quis simpliciter, nulla præcedente protestatione, rem ingressus sit, statim quærit utramque; nec tunc una quæritur sine alia, quia actus & animus non magis respicit unam quam aliam, imò utramque respicit: istam conclusionem probat aperte text. in leg. 3. in princip. de *acquirend. possess. cum similib.* dicentibus, quod corpore & animo quæritur possessio; sed illa est duplex; ergo utraque simul quæritur. Quam sententiam & conclusionem declaro isto modo, quod civilis possessio non acquiritur mediante naturali, vel una quærat prius altera; sed quod utraque simul quærat per ingressum rei cum animo possidendi: & istam declarationem voluit uno verbo Aretin. in dict. leg. *Clam possidere*, §. *Qui ad nundinas*, ff. de *Acquirend. possess.* 1. column. in fin. versic. *Sed hoc non videtur dicendum*. Idem Aretin. in leg. *Quemadmodum*, eod. 1. column. n. 3. & Doct. Segur. in prædicta leg. *Quemadmodum*, 7. column. vers. *Illud quod*, & in veritate forte ista fuit mens & intentio Bartol. in dict. §. *Qui ad nundinas*, 1. column. versic. *Istud quod Gloss. dicit, licet à Doctoribus reprobetur*, & cum his remanet expeditus iste articulus, qui certe valde subtilis & notabilis est, non sit declaratus à Doctoribus.

45. Quæritur etiam possessio per actus fictos: De quo articulo magistratiter, & utiliter intendendo tractare, quia est subtilis & quotidiana materia: Et primò dico, quod acquiritur possessio per visum & aspectum oculorum, præcedente titulo habili: text. est in leg. 1. §. *Si jusserim*, ff. de *Acquirend. possess.* textus melior de jure in leg. *Quod meo*, §. *Si venditorem*, versic. *Aut si vicinum*, eod. tit. cujus verba sunt: *Aut si vicinum mihi fundum venditor ex turre demonstrat, vacuamque possessionem se tradere dicat, non minus possidere capi, quam si pedes finibus intulisset*, text. in leg. *Pecuniam*, ff. de *Solution.* text. in leg. *Falsus*, §. *Falsus*, ff. de *Furtis*, text. in leg. *Quod statu liber*, ff. de *Donatione causa mortis*, text. in leg. *Donationes*, §. *Species*, ff. de *Donation.* & idem disponit lex 6. tit. 30. 3. part. Cujus ratio est, quia talis visus & aspectus oculorum, cum sit sensus de nobilioribus corporis, habetur pro apprehensione ipsius rei, & videor juris interpretatione pottingere corpus usque ad ipsam rem. Et in terminis istam rationem probat text. in dict. leg. *Quod meo*, §. *Si venditorem*, probat etiam text. in dict. leg. *Pecuniam*, ff. de *Solution.* ibi: *Et quodammodo manu longa tradita existimanda est*, & istam rationem ponit solus Cuman. in leg. 3. ff. de *Ac-*

quirend. possess. 1. column. Et adde, quod visus dicitur actus fictus; quia licet sit sensus naturalis & principalior cæteris, non tamen est aptus vel conveniens ad apprehendendam possessionem; quia propriè ordinatus ad discernendum omnia, quæ subjiciuntur visui, secundum proprias qualitates & differentias: in materia verò nostra, tam de jure naturali, quam civili solus tactus, & sic apprehensio naturalis per manus vel pedes est sensus aptus ad acquirendam possessionem: unde tenendum est, quod visus vel aspectus in acquisitione possessionis censetur actus fictus, & non verus, nec proprius: & in terminis ita tenet & declarat Aretin. in leg. 1. §. *Si jusserim*, ff. de *Acquirend. possess.* 3. notab. & ibi Socin. 2. col. ultim. notab. Vicent. 3. column. ultim. notab. Idem Aretin. in dict. leg. *Quod meo*, §. *Si venditorem*, 1. column. in fin. tenet etiam Bartol. in leg. 1. eodem tit. 5. column. numer. 18. & probant jura per me superius adducta. Et in tantum est verum, quod per visum & aspectum oculorum quæritur possessio, ut procedat etiam si res sit valde longè, & distet per decem milliaria, vel plus, dum tamen determinatè possit videri: Glossa est notabilis & ordinaria in leg. 1. ff. de *Acquirend. possess.* in gloss. 2. in med. quam ibi sequuntur & approbant omnes DD. licet Cuman. eam reprobat. Et in expresso ita tenet & declarat Aretin. in dict. leg. *Quod meo*, §. *Si venditorem*, 2. notabil. & Cardinalis, in cap. *Olim*, et 1. penultim. column. de *Restitution. spoliati*. Advertendum tamen, quod licet per visum vel aspectum oculorum quærat possessio præcedenti titulo, ut dixi; tamen hoc debet intelligi & limitari, quando concurrat simul voluntas tradentis possessionem, & voluntas accipientis in præsentia rei, quasi animus utriusque & rei præsentia hoc inducat & operetur: ita probant jura per me superius allegata, & tenet & declarat Bartol. in leg. 1. ff. de *Acquirend. possess.* 5. column. num. 18. Paul. fin. column. Alexand. 18. column. num. 77. & ibi communiter DD. idem Bartol. Angel. Imol. Roman. Aretin. Socin. Jason. & Vincent. in §. *Si jusserim*, ejusdem legis. Paul. Imol. Alexand. & communiter DD. in dict. leg. *Quod meo*, §. *Si venditorem*. Salycet. in leg. *Licet*, Cod. de *Acquirend. possess.* 3. column. Abb. in cap. 2. de *Consuet.* 8. column.

46. Ex qua conclusione & doctrina communi primò infero notabiliter, quod si quis velit acquirere possessionem & dominium in rebus vacantibus, quæ cælo, terra, marique capiuntur, vel habitis pro derelictis, quæ fiunt occupantis, non poterit acquirere per visum & aspectum oculorum; quia non est aliquis possessor jus